

EXPOSITIO.

24. **C**OACTI Dæmones ad Christi tribunal per ora hominum, quos obfidebant, clamant: *Quid nobis, & tibi?* id est, quid rei, quid negotii nobiscum habes? Hoc latè explicavi cap. 21. num. 16. & quæst. 4. *Iesu fili Dei*, seu ut habet Marcus, & Lucas, *fili Dei altissimi*, hoc est, verè Messia, & Christe qui promissus es in lege. Antea de Christi divinitate dubitans dicebat Diabolus: *Si filius Dei es*, Matth. 4. num. 3. Nunc verò jam non dubitat, sed absoluta, & firma voce testatur: *Iesu fili Dei*. Quis ei tantam dedit cognitionem? Cruciatu, ac poenarum scholam sic erudit. Quod perbelle notavit Origenes. *Vide in Evangelii, quomodo verberatus emendat hanc vocem, scriptum est enim, quia clamaverunt Dæmones ad Dominum, & dixerunt: Quid venisti ante tempus torquere nos? scimus te, quis sis, tu es filius Dei vivi. Vbi tormenta senserunt, sciunt Dominum. Antea flagella dicit Nescio Dominum.* De hoc autem multa hic necessario videnda dixi supra c. 22. quæst. 12. 13. & 14. nec enim singula passim sunt repetenda.

25. *Venisti ante tempus torquere nos.* Cujus rei hæc est sententia, Dæmones aliquantulum gaudent eo, quòd per varias terras vagantur ad excitandas tentationes, ac tempestates in homines. Quare magnum tormentum est illi, relegari in inferno; & hoc timebat sibi à Christo esse inferendum; ideoque dicebant, ne ante diem iudicii eos mitteret in abyssum, ut statim latius explicabo. Marcus addidit, quòd dixerit unus ex istis: *Adjuro te per Deum*, id est divina auctoritate interposita, tibi dico, & denuntio. Intendat vaser hostis, Dei auctoritate se tueri. In hoc casu Marcus, & Lucas referunt quædam verba, & Marcus addidit: *Adjuro te*, Matthæus vero scribit quædam à duobus prætermissa: *Venisti hic ante tempus torquere nos?* Quæ verba ita sunt ordinanda. Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei altissimi; Venisti hic ante tempus torquere nos, obsecro te, ne me torqueas adjuro te, ne me torqueas.

Quomodo ordinanda Evangelii verba.

QUÆSTIO V.

Quomodo Dæmones clamant, quòd Dominus venerit ad torquendos eos ante tempora?

26. **V**ARIÆ sunt rationes, tam litterales, quàm morales in hac materia. Primò ut etiam approbat Dionysius Carthusianus, clamant Diaboli, quòd Christus venerit in terra, agentes de primo adventu, aut tempora ad eos torquendum. Et ita Christi adventus dicitur à Diabolo valde celer, & velox. Sed Dæmones ignorare minimè poterant, illud fuisse tempus adventus Christi, à Prophetis designatum, cum id homines mediocriter docti scirent.

27. *Vera intelligentia.* Vera, & germana intelligentia hujus rei est, quam docent D. Chrysostomus homil. 44. in Ioan. & 29. in Matth. D. Ambrosius lib. 6. in Luc. Euthymius, Albertus Magnus, & etiam Diony-

sus Cathusianus citatus, & jam apposui in expositione, quòd quamvis Dæmones à primo instanti, quòd peccaverunt, sint damnati, ac gehennali igne torquentur; multi tamen per aëra, terrasque vagantur, homini insidiantes; variasque in eum tentationes, tempestates, morbos, ac mala commoventes; & dum hæc permittuntur Dæmonibus machinari, aliquantulum gaudent, cum illi maligni spiritus malignitate sua veluti quadam libertate vagabundi per terras ambulent. Vnde est Dæmonibus valde terribile, relegari, & incarcerationi in inferno, ad quem damnabuntur in perpetuum à Christo in die iudicii. Videntur ergo Dæmones hic timere, ne Christus Dominus, ut supremus iudex, diem iudicii anticipet, quem ipsi valde remotum reputabant, ut ita ipsi indilate mitrantur ad tartara, in illòque ætissimo carcere ibi in æternum recludantur. Et hæc sententiam colligo ex D. Luca. Ait enim, *Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent*; ergo mitti in abyssum timebant, & hoc dicunt ante tempus.

Tertiò. Aliter ex mente Cajetani hoc potest explicari, *Venisti ante tempus torquere nos*, hoc est, expellere ab his hominibus, nam exire ab illis corporibus, erat Dæmoni tormentum; & dicunt ante tempus, quia longiori spatio eos vexare deliderabant. Vt si quis, verbi gratia, plus temporis velit somno indulgere, dum tamen ab aliquo excitatur, ei dicit: *Venisti ante tempus me à somno evocare*. Ita enim gaudent Dæmones in torquendis hominibus, ut omne eis in hoc negotio tempus videatur breve, atque parvum.

Quartò. D. Chrysologus sermone 16. sic ait: *Tempus abscondit, prævenit mortem*, scilicet Diabolus, *sepelit vivos crudelitas immatura*; & de tempore queritur, quasi ante tempus habere debuerit, & non ut exorta est mox puniri. Diabolus ante constitutum mortis tempus supplicio mortis puniebat homines vivos dum eos clausos sepulchro continebat, ac si jam essent demortui, ideoque ex poena anticipata, quam ipsi inferebant homini, cogitabant, sibi que perfruebant, quòd etiam Deus accelerato supplicio ante constitutam metam ad eorum punitionem præcellerit. Et quàm protervè, ac malignè in hoc loquantur Dæmones, benè subdit ipse Chrysologus, *quasi ante tempus habere debuerit, & non ut exorta est, mox puniri*: nullum enim tempus intempestivum ad malitiam expungendam, ac vitia expugnanda: nam mox ut pullulant, poena, igne, ferro sunt evellenda ac eradicanda.

Non prætermittam illud hic notare, quòd ante citata verba peracutè observavit Chrysologus. *De tempore sic queruntur, quasi ipsi cum tempore fecerint, ut vivos condiderint in sepulchris*. O execranda Dæmonum malitia! Ipsi ante mortis tempus supplicio mortis homines puniunt, dum vivos ergastulo monumenti recludunt. Et tamen conqueruntur, quòd post tot annorum millia, filius Dei ante tempora venerit: quasi ipsi cum tempore fecerint, ut vivos condiderint in sepulchris. Vulnera, quæ quis in alterum infleat, illorum dolore minimè tangitur, at siquid pressura ipse sustinet, improbabile, & ante tempus apparet ei, atque videtur. Vnde

justissimo

31. **P**aschal. *justissimo Dei iudicio ea sæpe quis patitur, quibus afflirit, atque vex vit*

32. *Quintò. D. Paschasius lib. 5. in Matth. Malis, ait, semper, licet longa patientia, brevis videtur, sicuti, & bonis vitio tarda. Iacirco isti, non quod sciam, quando debeat esse, sed quod licet longissimum, eis breve videtur, eo quod acrior instet cruciatu, & tempus concupiscentiarum eum pertransierit, sic fit, ac non esset. Dicunt Dæmones Domino: Ante tempus venisti torquere nos? Iniquorum conditio, quòd ultio criminu per multa curricula annorum maximè dilatata, ac dissimulata, videatur eis valde festina, & velox ante tempus: nam sicut bonis servis remuneratio in ultima die videtur nimis accelerata; ita iniquis poena apparet nimis maturata, ac concitata.*

33. *Et ante citata verba notat Paschasius. Venisti, inquiunt, ante tempus, & præscribum illud, quasi noverim tempus iudicii, præsumunt enim plus scire, quàm sciant; non curantes de mendacio. Dum Dæmones dicunt: Venisti ante tempus: innuunt se scire diem iudicii, cujus temporis articulum Angeli in cælo non capiunt. Iniquorum ingenium, quòd plus fingant se sapere, quàm apprehendunt. Non curantes de mendacio.*

Venefici Egyptii, cum non possent educere sciniphes, dicunt: *Digitus Dei est hic*, Exod. 8. num. 19. Et quid, in hoc volunt significare: Caietanus. *Attribuunt Diis superioribus manum impediendam significatam à digito, ad insinuandum, quòd tanquam de articulata cura, atque opera superiorum Deorum impediatur ars ab efficacia solita. Ne ergo venefici aliquid eorum scientiam fugere, fatentur, asserunt, quòd digitus Dei hic intervenit, suæ artis opera impediens, unde sciniphes non educuntur, non ex defectu scientiæ, sed ob manum Dei impediendam.*

Magistri suam insidiam fateri noluerunt.

QUÆSTIO VI.

De qua poena, ac tormento Dæmones hic loquantur?

34. **E**RTUM est quòd Dæmones, ex quo è cælo reciderunt, supplicio ignis iremissibiliter, & sine ulla interruptione puniantur, ut docet D. Damascenus lib. 2. de fide, cap. 4. Beda, & Glossa Ordinaria ad illa verba Iob. 3. *Inflammati à gehenna*. D. Thomas 1. pari. quæst. 64. art. 4. ad 3. Quomodo verò Dæmones, qui per aëra, ac terras vagantur, gehennali igne torquentur, est satis difficile explicare: Multis omisissis dicendum est cum Suario com. de Angelis, lib. 8. cap. 6. num. 39. Quod agens de potentia obedienciali latè explicavi. Quòd sicut Deus elevat ignem ad agendum in spiritum, ita etiam illum elevabit, ut non minus agat in spiritum distantem, quàm in propinquum; nam conditio propinquitatis solùm requiritur, ac ceterum naturalem vim; minime verò spectata divina virtute, ut de Christi humanitate, ac Sacramentis optimè à multis bene explicatur.

35. *Hic ergo loquantur Dæmones de poena illa, quæ est incarcerationi in inferno, ut superiori quæst. latè explicavi. Ex quò eleganter ait D. Basilus Seleucus orat. 23. *Natum ex his, qua per-**

petuntur, se tormentis obnoxios. Neque tantum apud eos moram potuit improbitas, ut illata ob flagitia poena oblivionem inducat. Dæmonum malitia omnem modum excedit, & cum tanta improbitate, etiam dum hæc per aëra, & terras vagandi libertate fruuntur, imminens tamen poena atque reclusio in tartareo carcere eis in oblivionem non abit; sed ante illorum mentes semper tam rigidum obversatur supplicium, maximeque illius anguntur timore. Et tamen pro dolor! sunt multi homines, qui dum aliquali paci ac felicitati indulgent, statim salutis oblivionem induunt, ac de imminente supplicio minimè recordantur.

36. *Secundò idem D. Basilus Seleucus. Venisti, ante tempus torquere nos? Quod igitur, ait, non torquentur, nondum supplicii tempus adesse rationantur: graviter enim ferunt, ante iudicii tempus hominum poenis, ut abstineant, se sibi. Christus Dominus, ut dicam, Dæmonibus non inferebat aliquem cruciatum ad hoc ut ab obsessis hominibus exirent, sed hoc præstabat nutu, ac imperio suo. Quomodo ergo hic conqueruntur, quòd venerit Dominus ante tempus ad eos torquendos: Dæmones crudeles sunt hominum generis hostes, ac proinde dum ante diem iudicii ab hominibus vexandis cessare jubentur, hoc pro rigido, & duro cruciatu reputant. *Gerasius dicit enim ferunt, ante iudicii tempus hominum poenis ut abstineant, se sibi. Tales enim sunt Dæmones, ut sicut nostris insidias, ærumnis, ac malis gaudent, ita postea commoditate, ac bono peracerbè affligantur, & doleant. Vnde ait Glossa hoc loco: Torquentur Dæmones, dum de corporibus ejiciuntur, in quorum tortura delibantur.**

37. *Tertiò D. Chrysostomus homil. 29. Ab experientia clamant: flagellamur enim invisibiliter, intolerabilia patientes ex præsentia Christi. D. Hieronymus ait: Præsentia Salvatoris, tormentum sunt Dæmonum. Valde terribilis, & formidabilis reo est, ac delinquenti præsentia iudicis, & ideo cum Dæmones se videant ante præsentiam Domini iudicis universalis, maxime torquentur, ac cruciantur.*

38. *Ait Ioël Propheta cap. 2. num. 5. agens de adventu Domini in die terribili, Sicut somnus quadrigarum super capita montium exiliit: sicut somnus flamma ignis devorantis stipulam: sicut populus fortis præparatus ad prælium. A facie eius cruciabantur. Septuaginta sic legunt ultima verba: A facie eius conterentur populi. Nondum agit Propheta de sententia iudicis, sed tantum de eius præsentia, quæ tam terribilis erit, ac fontus hostilium quadrigarum multarum, & flammæ devotantis, atque multitudo populi procedentis ad bellum. Et sicut his omnia conteruntur, ita à facie iudicis, universi conterentur, ac cruciabantur. D. Hieronymus. Non erit, qui favorem ejus possit evadere, cujus crudelis aspectus frememium eorum habebit similitudinem.*

39. *Marc. 5. n. 8. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. Ibid. num. 9. Et interrogabat eum, Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen.*

Basil.

nomen est, quia multi fumus.

VERSIONES.

Syriacus n. 9. Et dixit ei; Legio est nomen nostrum, quia multi fumus.

ALTER TEXTUS.

Luce 8. n. 29. Præcipiebat autem spiritui immundo, ut exiret ab homine: multi enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur carnis, & compedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur à Dæmone in deserto.

Ibid. num. 30. Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio, quia intraverant dæmonia multa in eum.

EXPOSITIO.

DOMINUS mandabat Dæmoni, exire ab homine, non inferendo ei tormentum aliquod, sed tantum imperio suo. Et tamen Diabolus ait: Venisti torquere nos quia Diaboli tormentum, exire ab homine. Et quamvis Dominus sciret, Dæmones multos esse, ut revera erant, & explicat Evangelista; tamen singulariter loquitur, quia ad hominem vexandum ita erant uniti, ac si unus esset Spiritus. Facile poterat Christus Dominus virtute verbi sui sine ulla mora Dæmonem expellere ab homine, verum tamen locum dat interrogationi, ac precibus, ob rationes assignandas.

40. Bonavent. Interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Interrogat, ut ait D. Bonaventura, non quia ignoret, sed ut ex responsione Dæmonis appareat comitatus multitudinis, & ita scirent præsentem, quod multi in uno homine Dæmones erant. Et dixit ei: Legio tibi nomen est. Per vocem, & linguam hominis possessi respondet Diabolus. Et cum multi essent, non potuerunt respondere uno nomine, sed communi. Unde Syriacus habet: Legio est nomen nostrum. Legio autem militum significat multitudinem, hic autem Dæmonum, ut ipsemet Dæmon explicavit: Quia multi fumus. Et quamvis ipse sit mendacii pater, hic coram tanto iudice non audet mentiri, sed verum dicit. Et bene multi fumus, ut ait Hugo quia unum peccatum, quod est opus Diaboli, non est sine alio, peccatum enim suo pondere ad aliud trahit, nisi citò penitentia deleatur. Illi congregati sunt milia; aliter ad alterum. Mat. 34. num. 15

Syriacus.

Hugo. Unum peccatum secum aliud affert. Mat. 34.

QUESTIO VII.

Quid sit Legio? & quid hic significet?

LEGIO nomen erat Romanæ militiæ. Abulenti hoc loco quest. 111. D. Bonaventura, Lyranus, Carthusianus & alii dicunt legionem continere sex millia, sexcenta, & sexaginta sex militum. D. Hieronymus autem in c. 26. Math. ait; tempore Christi unam legionem claudere sex millia militum. Iansenius uni legioni assignat numerum duodecim millia, ducenta, & quinquaginta militum. Alii, ut Franciscus Lucas, dicunt, quod una legio continebat duodecim millia, & quingentos milites. Alii majorem, alii minorem numerum faciunt.

Dicendum est, quod uni legioni non erat numerus certus deputatus; modò enim plures, modò pauciores milites habebat, ut tradit Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 5. Tiraquellus ibidem in Commentario Alexandri. Et Vegetius lib. 2. de re militari cap. 2. sic ait; Romani legiones habent in quibus singulis sexa millia, interdum amplius militare consueverunt. Unde rectè docent Victor Antiochenus in hoc cap. 5. Marc. & Euthymius, quod legio hic non significat præcisum numerum Dæmonum, sed eorum magnam multitudinem. Aliqui verò asserunt, fuisse saltem duo millia Dæmonum, siquidem duo millia porcorum dimiserunt in mare, ita ut singuli in singulos intraverint porcos. Sed conjectura non est multum efficax: nam ad omnes detrudendos in mare sufficiebat unus spiritus. Quod ergo certum habemus, nomine legionis multos Dæmones significari. Non obstat, quod dicatur spiritus immundus in singulari, Exi spiritus immunde, quia ibi accipitur spiritus collectivè pro tota multitudine, ut ait Iansenius; vel pro duce ipsorum Dæmonum, ut vult Barradas, vel ut dixi in expositione, quia tanquam unus spiritus ad vexandum hominem erant uniti.

QUESTIO VIII.

Quare Dominus nomen Dæmonis interrogat? Et cur ipse dicat, quod vocatur legio?

DOMINUS nomen Dæmonis interrogat: Quod tibi nomen est? non quia ignoret, sed ex magno mysterio, ac ex profundissima ratione. Primo, ut ex propria Dæmonis confessione, ejus malignitas cunctis fieret manifesta, quod multi convenerant ad unum hominem vexandum. Secundo, ut omnibus fieret evidens eximia Christi virtus, atque potestas, quæ sua voce, non unum Dæmonem, sed magnam eorum turbam indilate profligabat. Tertio, ut omnes agnoscerent magnitudinem, ac excellentiam miraculi.

Quarto, ut reluceat integritas divini iudicii. Interrogat, non ignorat, ait D. Petrus Chryzologus serm. 17. sed implet iudicium, servat ordinem cognitoris, nomen interrogat; ut de conditione discatur.

discatur. Ad quid omnium agnitor à patre mendacii interrogat? Agebat Dominus iudicis vias, & tanquam reus stabat Diabolus; ideo interrogat, & implet iudicem, ac ut de conditione discatur. Iudex enim, quamvis aliàs videatur crimen scire, tamen interrogat, & investigando discunt. Licet enim aliàs iudex optime crimen agnoscat, & deprehendat, tamen nomen, ac officium iudicis non implet, qui reum ad se non advocat, nec interrogat, & alta, longèque investigatione illius scelera capit, & apprehendit, antequam ad pœnam infligendam procedat.

Iudex semper procedat interrogando, & crimine discutiendo.

46. Quæro deinde: Ad quid ipse Dæmon responderet, quod legio est illi nomen? Ratio redditur in textu, Quia multi fumus, ac proinde nomine illo voluit significare multitudinem. Præterea rectè responderet Abulenti quest. 111. quod sicut sancti Dei Angeli dicuntur sub nomine militiæ legiones. Possunt vocari Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum, Mat. 26. num. 53. Et nato Christo dicitur: Facta est cum Angelo multitudo militiæ celestis, Lucæ 2. num. 13. Et etiam vocatur castra Dei, Genes. 32. num. 2. Ita Dæmones volunt nomen legionis usurpare, & sub illo dici, ac nominari, ut ait D. Gregorius Nyssenus. Imitantes quidem Dæmones supernas militiæ, & legiones Angelicas, dicunt se legiones.

46.

Abulenti.

Matth. 26.

Luc. 2.

Genes. 32.

Dæmon ob ambitionem, alia videtur imitari, & quidem nomina usurpare.

Nyssen.

47.

Abulenti.

1. Cor. 15.

Chryzost.

Theodor.

Theoph.

Cassian.

Dæmones ergo, ait Abulenti, volunt inter se imitari ordines Angelorum, ut sicut illi ordinati sunt ad bonum faciendum, ita Dæmones ordinati sunt ad inferendum malum. Unde sicut Angeli sancti distincti sunt per principatus, potestates, virtutes, qui sunt ordines ipsorum, ita Dæmones hæc nomina emulantur, & illis nominantur 1. Corinth. 15. num. 24. Cum tradiderit regnum Deo, & Patri; cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare; ubi sermo est de evacuatione Dæmonum. Unde alii legunt, Cum abolerent, in die iudicii, ut explicat Chryzostomus, Theodoretus, Theophylactus, Cassianus, & alii, siquidem Dæmones ad imitationem, ac emulationem superiorum Angelorum principatus, virtutes ac potestates dicunt.

QUESTIO IX.

Quare tota una Dæmonum legio obfessum hominem non suffocet, ac interimat?

48. Ratio diffinitiva.

VALDE mirum quod tota una Dæmonum legio per multa tempora, ut explicat D. Lucas, possessum hominem tenens, qui se lapidibus concedat, ac sine vestimento nudus incedebat, ita ut eum nemo domare posset, tamen ipsa Dæmonum multitudo eum non suffocet, ac in frustra cædit, ut ipse dilaceratus omnino intereat, siquidem ipsi hominem relinquunt; ibi primum intrant in gregem porcorum, statim subdit Evangelista, Impetu abiit grex per præceptum in stagnum, & suffocatus est. Hujus rei causam eleganter explicat D. Gregorius Nazianzenus carmine de Ira, in fine.

Nazianz.

O Ira fervor, Dæmonis domus horridi, Horrenda legio, multiplex labes mali, Te Christi fugere confestim hinc iubet, Porcorum in alvum te tuo un conijce, Caput ruentem grex libens hic in mare: At parce nobis, qui Deo cura sumus.

Deus in supplicio de homine recedat.

In porcos intrat Diabolus, data licentia eos perendi, ac interimendi. Non sic verò in hominem. Nam quamvis homo flagelletur à Deo, obque peccata ipsius permittatur crudelissimis tyrannis, ut in eum sæviant, atque armentur, semper tamen homo sub divina manet protectione custoditus, & nunquam Deus ita hominis sui obliviscitur, ut eum deserat, tradatque impiissimis adversariis ad illum omnino expugnandum, ac perimendum, sed semper de nobis curam agit, At parce nobis, qui Deo cura sumus.

Imò inter ipsa flagella, & quando homo magis videret derelictus, tunc de eo recordatur in ipsis suppliciis custodito, ut perbellè de isto dæmoniaco notavit Divus Basilus Seleucus orat. 23. Non in præcipitia proccerunt, non membra trahunt, non illato ferro disersperunt hominem verum, occultiore virtute stetit, restititque contra excitationes à Dæmonibus procellas, in ipsis etiam suppliciis custoditus. Vnde magna Dei misericordiam. Permittatur homo, magno supplicio à Dæmone vexari, tamen in ipsamet vexatione à Dæmone vexari, & divina sua virtute Dæmoni resistebat, ne hominem perimeret, quem ad tempus misericordiam reservabat, qua ei subvenit, quando Dæmonis malignitas maximè sæviebat.

49. Basil.

Homo in ipsis suppliciis est à Deo custoditus.

Secundò, Expende magnum Nazianzenum acumen: O Ira fervor, Dæmonis domus horridi, In homine consistebat tota Dæmonum legio per multum tempus, ut explicat D. Lucas. Et tamen ab ipsis homo non perimitur. At ubi primum in porcos ingrediuntur, statim totus grex abiit in præcipitium. Hominem obsidebant Dæmones sua malitia ac malignitate, in porcos autem intrant ira, ac furore sævientes ex eo, quod ab homine essent expulsi. Et plus damni, ac nocimenti præstitit iræ, ac furoris rabies, quàm malitia, ac malignitas Dæmonis hominem vexans, atque torquens.

50.

Rabie furoris plus damni præstat, quàm Dæmonis malitia.

Tertio, Divus Petrus Chryzologus serm. 17. Evidens est, ita, destitit militis, si deserat aciem, si gessum retrahat, si confingere pertimescat, ubi unum numero hoste fortis pervidet esse capivum. Ad præsentiam regis, isti quid sunt, qui, ut unum, & nec dum tyonem, caperent, toto cohortis sue agmine convenerunt; Vbi essent, si vexillum ibi jam Crucis, Christi signa vidissent; Age Christiane, incede securus; manustama, & tam multa, qua sic metuit incertem, procul fugiet, si videat, si semiat, si cognoscat armatum, Tota Dæmonum legio in hominem armatur, multorum tormentorum telis eum impetit, eum tamen minimè prosternere valet. Regis præsentia imbellem hominem custodiebat, quanto magis fugerent adversarii, si Crucis Christi vidissent vexillum? Si enim tanta Dæmonum multitudo ab incerni homine fugit: quanto magis recederet, si Crucis signo agnosceret corroboratum: qui enim tanto sunt muniti vexillo, nullas timeant adversarias potestates.

51. Chryzost.

Regis præsentia milites custodit. Crucis Christi signo agnosceret corroboratum: qui enim tanto sunt muniti vexillo.

Procellis